



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Qvæstionvm Regvlarivm R. admodum P.
Emanuelis Roderici Lusitani, S. T. Lectoris Prou. S. Iacobi
Reg. Obseru. Ordin. Mino. Diffinitoris**

Rodrigues, Manuel

Lvgdvni, 1621

B.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41743

BAPTIZARE. 31
BAPTIZARE.

CVicumque regulari etiam Fratri
Minori, deficiente alio Sacerdote,
in extremis baptizare cōcessum
est, quamvis adsint alij sæculares, qui
id facere possent, nec hoc interdicitur
in Regula Fratrum Minorum,
tom. I. q. 31. art. I.

Extra casum autem necessitatis
ob iniuriam Parocho factam & pro-
hibitionem iuris, quamquam pec-
catum sit baptizare, non incurritur
nihilominus vlla irregularitas vel
censura, cū nullibi in iure expri-
matur, sicuti expressè habetur de
ministrante Eucharistiam, Matri-
monium, & Extremam vñctionem:
quinimo nullum erit peccatum, si
fiat cum licentia ipsius Parochi,
*ibidem, & articulo 3. & quest. 56.
art. I.*

In Indiis secundum priuilegia
permissum est Mendicantibus Bap-
tizare nouiter conuersos in suis
Ecclesiis, & extra in locis ad id de-
putatis; non tamen in Parochiis: &
vti veteri Chrismate vsque ad quar-
tum annum inclusiue, si nouum
haberi nequeat, omissis ceremoniis
ordi

32 BENEDICERE.

ordinariis ob Ministrorum paucitatem, cum id ad maius Dei obsequium expediens iudicatur, *art. 3. 4. 5. & 6.*

BENEDICERE.

Vide Altaria, Abbas, Abbatissa.

DOcuit *Angelus* omnes simplices Sacerdotes secundum ius commune posse omnia ornamenta Ecclesiæ benedicere, in quibus non interuenit Chrisma; verum approbata consuetudo, quæ vim legis obtinuit, habet oppositum. Vnde *Sixtus IV.* licentiam concessit omnibus Sacerdotibus Ordinis Minorum, omnia ornamenta Sacerdotalia & Altarium benedicendi, demptis Corporalibus; verumtamen hoc privilegium nunquam fuit usu receptum: hanc namque potestatem restrinxerunt Patres Ordinis in Concilio Generali ad solos Guardianos, *art. 1. quæst. 19. tom. 1.*

In Indiis tamen per concessionem *Greg. IX.* deficiente copia Episcopi benedicunt omnes Sacerdotes dicti Ordinis omnia prædicta cum Corporalibus. Et idem permisum est aliis Fratribus cum licentia

Pro

BENEDICERE. 33

Prouincialis ; & licet dicta facultas sit limitata per Capitulum generale pro Fratribus Minoribus, non tamen pro aliis, qui eorum priuilegiis gaudent, v.g. Dominicanis, &c. *ibidem.*

Prælati regulares, eorumque vices gerentes, qui ad regimen instituuntur, & modò communiter Vicarij appellantur, præfuntque in absentia Guardiani, &c. per multa priuilegia variis Ordinibus concessa, licetè benedicunt Oratoria, Cæmeteria, Ecclesias, Corporalia, & alia quæcunque ad diuinum cultum pertinentia, vbi Chrisma non interuenit, non solum pro suis vñibus, sed etiam pro alienis, ex concessione *Innocent. V I I I. & expressa declaratione Congregationis Generalis celebrata à Fratribus Minoribus Toleti apud Sanctum Ioannem Regum. art. 2.*

Imò in partibus Indiarum Prouinciales, & ij qui ab eis fuerint ad hoc deputati, habent facultatem benedicendi calices in absentia Episcoporum. *art. 3.*

Mendicantibus post *Conc. Trid.* interdicitur est, ne petant cōsecrationem

G sua

fuorum Calicum, &c. ab alieno Episcopo, nisi bis aut ter cum debita humilitate à proprio petierint, nec obtinuerint, *art. 4.* aut si nollet proprius id eis exhibere gratis. *art. 5.*

Item dicti Prælati reconciliare possunt suas Ecclesias pollutas, cum aqua benedicta cinere mixta, ab Episcopo benedicta, si Episcopus ultra duas dietas, id est, 14. leucas non distet: si verò longiùs distet, permissum est eis per *Leon. X.* eandem benedicere. *art. 6.*

Qui celebrat in Ecclesia polluta, quamvis mortaliter peccet, non incurrit tamen irregularitatem. *ibid.*

BENEFICIA.

Vide Episcopus, Clausstrum.

Beneficium aliud est saculare, aliud regulare. Regulare etiam duplex, compositum, ut est Abbatia regularis, & Prioratus Conventualis, eo quòd qui ea obtinent, duplici honore funguntur, circa personas, & res. Aliud simplex, ut Prioratus simplex, & Monachatus regularis, quia illi simplici tantum honore funguntur.

Secu

BENEFICIA. 35

Seculare aliud cum administratione, ut beneficium curatum; aliud sine ea, ut beneficium simplex. *to. 1. q. 34. art. 1.*

Imitantur etiam nomen & naturam quodammodo beneficiatorum, qui manualia (ut aiunt) beneficia habent, quæ tamen propriè beneficia non sunt, quia præfecti iis beneficiis possunt amoueri ad nutum Abbatis vel Prioris. *art. 2.*

Regularia beneficia Regularibus dumtaxat sunt conferenda, sæcularia sæcularibus tantum. *art. 3.*

Supradicta solum pertinent ad Regulares possidentes, non autem ad Mendicantes incapaces beneficiorum, ob renunciationem omnis proprietatis; unde in his, Prioratus, Guardianatus, &c. sunt dignitates & administrationes Ordinis, & Regulæ, non autem beneficia. *ibid.*

Nullus regularis acceptare, nec per consequens procurare potest beneficium sæculare sine consensu sui Superioris, aut dispensatione Summi Pontificis, *articulo 5. Vide Electio.*

Admissus verò ad beneficium
C. 2. regu.

regulare vel sæculare nequit admitti in capitulis generalibus & Provincialibus, seu congregationibus negotiis, & officiis, aut aliis administrationibus Ordinis, nisi Generalis consensu interueniente, sub pœna excommunicationis, quam admissus & admittens ipso facto incurrunt, *art. 5.*

Regularis habens beneficium sæculare cum dispensatione, absoluitur ab obedientia sui Superioris, & ab omnibus & solis obseruantis, quas non potest commodè obseruare cum executione dicti beneficii; vnde nunquam potest dimittere habitum, nec proprium habere, sed tantum administrationem rerum sibi creditarum. *art. 6.*

Non potest Regularis cogi à suo Superiore, vt acceptet beneficium sæculare; nam hoc est vel contra Regulam, vel, nisi dispensatio Papalis interuenerit, excedit potestatem Abbatis, qui solum potest præcipere ea quæ pertinent ad Regulam promissam: secus si beneficium communiter haberetur à Monachis, quia tunc Abbatis præceptum esset

BENEFACTORES. 37
esset secundum ipsam regulam a. 8.
Vide Obedientia.

Si regularis sit exemptus ab Ab-
bate, ut pote quia habet beneficium
alteri subiectum, acquirit suæ Ec-
clesiæ, alias Monasterio. Quod si di-
ctum beneficium non sit Abbati
pleno iure subiectum, nequit ipse
Abbas eum cogere, ut ad claustrum
reuertatur, vel illum amouere, vel
præcipere, ut de pertinentibus ad
idem beneficium, hoc vel illo modo
disponat. *art. 7.*

BENEFACTORES.

Vide Hospitales.

Benefactoribus, quæ talibus ne-
quit quisquam molestus esse.
Item nec in eos ferri potest ex-
communicatio, ob conuersationem
cum Fratribus iuxta plurimum Pon-
tificum indulta. Quod si actu fra-
tribus ministrent, aut maneant in-
tra septa Monasterij, sub obedientia
Prælatorum, eximuntur ab Episco-
porum iurisdictione, per *Concil. Trid.*
tom. 1. q. 33. art. 1.

Prælati Ordinis per Concessio-
nem *Vrbani V.* imò secundum ius
commune, ut probat *Corduba l. 5.*

¶ 3 *quæst.*

38 BENEFACTORES.

quest. 7. & est communior possunt concedere benefactoribus, quoad vim satisfactoriam & meritoriam, communicationem suffragiorum, indulgentiarum, & bonorum spiritualium suorum inferiorum: eo enim ipso, quo curæ Congregationis præficiuntur, censentur habere authoritatem dispensatiuam communium bonorum Communitatis; nec per hoc minuitur valor operum ex pluribus communicantibus, quatenus sunt meritoria, sed bene quatenus sunt satisfactoria, sed nec ex hac applicatione fit deterior Religiosorum, quàm aliorum conditio. *art. 2. & 3.*

Ad horum maiorem intelligentiam notandum, communium bonorum Congregationis duplicem esse communicationem, satisfactoriam videlicet, & meritoriam. Satisfactoria numquam potest applicari cuiquam, nisi per expressam intentionem facientis, aut eius Superioris. Meritoria autem sine vlla intentione facientis applicatur omnibus in gratia existentibus propter communionem Sanctorum. *art. 2.*

Licet

BENEFACTORES. 39.

Licet possit applicari alicui in particulari, cui proderit ad varia beneficia obtinenda per viam impetrationis de congruo. *art. 3.*

Prælatus, sicut & Papa, potest quoad vim satisfactoriam ea dumtaxat Fratrum bona, quæ aliàs cederent in thesaurum suæ Communitatis, ut sunt quæ fiunt in communi, aut per iniunctionem Prælati, aut quæ fiunt intentione communi, vel superfluunt facientibus, nisi ipsi consenserint: habent enim solum auctoritatem dispensatiuam circa superflua. Quoad vim autem meritoriam, possunt omnia omnino, cum inde nil detrimenti accipiant inferiores, sed per hoc eorum conditio melior euadat. *art. 4.*

Prælatus & subditus possunt quoad satisfactionem applicare bona, opera præsentia & futura tantum, quia præterita iam sunt reclusa in communi Ecclesiæ thesauro sub Papæ dispensatione, non autem suspensa aut reseruata in aliquo thesauro particulari: non enim plures sunt thesauri distincti pro hac & illa Ecclesia particulari: sed vnus tantum

C 4 pro

40 BENEFACTORES.

pro tota Ecclesia Romana: at quoad vim meritoriam potest quisque, etiam præterita, applicare, cum merita non reponantur in communi thesauro Ecclesiæ. *art. 5.*

Benefactores habentes à Prælati communicationis literas, in quantum tales participant pro rata, id est, prout plus aut minus dant secus est, si illas habeant intuitu solius charitatis ad beneplacitum Prælati: tunc enim valebit talis concessio seu communicatio secundum intentionem illius quoad vim satisfactoriam & meritoriam. *art. 6.*

Hæc communicatio plurimum differt à communicatione indulgentiarum. Primo enim non vtuntur Superiores iurisdictionis clauæ, sed authoritate naturali, nec remittunt pœnas peccatorum. Item hæc communicatio non fit de thesauro infinito Ecclesiæ, sed de limitatis, propriisque aliorum bonis. Tertio nõ liberat hominem in foro Ecclesiæ, neque sæpe in foro Dei, à pœnitentiis iniunctis pro peccatis ob exiguitatem suam, quandoquidem hæc merita non sint infinita. Et tandem indul

BELLVM. 41

indulgentia valet tantum ad satisfacti-
onem pœnarum, hæc autem com-
municatio etiam ad impetrationem
bonorum confert. *art. 7.*

Ex dictis sequitur; dictam con-
cessionem non reuocari per *Bullam*
Cruciatae, cum non fit merum pri-
uilegium, nec abrogari per *Pium V.*
prohibentem quæstuaras Indulgen-
tias, cum hæc (vt dictum est) ab illis
plurimum discriminetur. *ibid.*

BELLVM.

IN bello iniusto exhortatio ad pu-
gnam inducit irregularitatem, nõ
autem in iusto, in quo ob commune
Catholica fidei bonum dispensat
Ecclesia: licet talis exhortatio sit
causa multarum occisionum. Nec
refert, quod tales occisiones inten-
dant virtualiter, modo non actuali-
ter. Et ad tollendos scrupulos, *Greg.*
XIII. declarauit posse liberè Iesui-
tas hortari Hispanos in Indiis ad
fortiter dimicandum sine timore ir-
regularitatis, dummodo non ferant
arma, *tom. 1. quæst. 32. art. 1.*

C S RO

B O N A.

Vide Apostasia, Benefactores, Beneficia, Exilium, Hæresis, Monasterium.

Alexander I V. concessit vt Fratres Minores egentes possint recipere bona malè acquisita, & incerta relicta, & de iisdem liberè disponere, si eis offerantur, quando testatores aut datores ignorât quibus sunt restituenda; & etiam legata ad pios vsus relicta nullis determinatis personis, si eis executores applicare velint, nonobstante contradictione Prælatorum Ecclesiasticorum. *tom. I. q. 38. art. I.*

Multi Pontifices indulserunt Patribus Iesuitis, inquit *Collector* referens concessionem *Martini V.* & aliorum Pontificum factâ Fratribus Mendicantibus, vt possint acceptare quæcûque loca secularia aut regularia, necnon Ecclesias, Eremitoria, & Monasteria cuiusvis Ordinis cum eorû bonis mobilibus, aut immobilibus, etiâsi forent strictioris Observatiæ, si pia legatione fidei illa sibi

bi

bi donari cōtigerit, & illi quorū interest, cōsentiant, & eo ipso Apostolica authoritate perpetuò applicata & appropriata esse censentur. *ibid.*

Religiosis Societatis Charitatis concessit *Leo X.* vt possint bona Feudalia & Emphyteutica etiā Ecclesiastica acceptare, modò ad ea onera teneantur, ad quæ donator seu testator tenebatur occasione illorū, & ad ea omnia quæ donator imposuerit: & si ad certū numerū generationum cōcessa fuerint, Monasterium possidebit toties viginti annis quot erant generationes. *art. 2.*

Idem priuilegium per *Celestin. 5.* cōcessum est Monachis Cælestinis, sed est semper intelligendum, modò onus impositum sit compossibile cum statu Monachali. *art. 3.*

Bona perdita, diligenter quæsito; & nō inuento domino, olim de iure pertinebant ad Prætorem, sed Reges Hispaniarum ius prædictum transtulerunt in Fratres de la Merced. & SS. Trinitatis pro redemptione captiuorum, ac proinde talia nunc detinens, tenetur eis dare. Si tamen ea retineat absque pecca-

to (quod putant fieri posse plerique Doctores, quodcumque Dominus legitimus non noscitur) videtur non teneri in foro conscientia, sed tantum in foro fori, si videlicet petantur. Et ita sunt intelligenda. Leges excommunicationem ferentes in eiusmodi bonorum detentorem
art. 4.

Clement. 4. concessit quod cum aliqui assumptum habitum Fratrum Minorum fuerint obligati ad restitutionem bonorum, diuersis personis, quæ sciri & inueniri nequeunt faciendam, Ministri & Custodes, & eorum Vicarij possint eiusmodi bona in pios vsus conuertere prout secundum Deum expedire iudicauerint: & hæc concessio quamuis nihil profit aliis Religionibus, quia id licitum est eis iure communi, fauet nihilominus Franciscanis, propter prohibitionem ipsi alias factam, in *secundo* nimirum *cap. sua Regula ibidem.*

Quæcumque persona sæcularis, aut Regularis, cuiuscunque status fuerit, etiam si Pontificali dignitate præfulgeat, præsumens bona mobilia

aut

aut immobilia Cōgregationis montis Oliueti perturbare, aut fatigare, si infra tres dies à notitia indulti *Eugenij* 4. dictæ Congregationi concessi, non se correxerit, incurrit excommunicationem Papalem, & hoc idem priuilegium concesserunt *Leo* 10. & *Inl.* 2. Eremitis Sancti Augustini. *art.* 7.

Materialia & bona Conuentuum destructorum Mendicantiū possunt applicari Conuentibus propinquiorebus eiusdem Ordinis, aut vendi in eorum vtilitatem (Ecclesiis consecratis dumtaxat exceptis) *art.* 6. & *10.* 3. *quæst.* 5. *art.* 4.

Probabilius est. Nouitios Minores vi Regulæ teneri quidem omnia bona sua relinquere, sed non distribuere pauperibus, quandoquidem verba Regulæ ex Euangelio sumpta eodem sensu sint intelligenda, quo Christus ea tradidit, ad perfectionē tēdere volentibus: imò & ipsi Apostoli, ex sentētia *Iansenij* in *Concord.* *Euang.* solum reliquerunt, non autē pauperibus distribuerunt sua, vnde non amplius obligandi sunt. Prædicti Nouitij. *tom.* 3. *q.* 16. *art.* 6.